



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,  
Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Quod homo non valet Deo vicem reddere, nisi per amorem, 18

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

## C A P V T X V I I I .

*Quod homo non valet Deo vicem reddere  
nisi per amorem.*

1. **A** Nima insignis Dei imagine, illustris similitudine, habet in sese ex Deo, quo admoneatur semper aut stare cum eo, aut ad eum redire, si mota suis affectibus, imo defectibus, fuerit. Et non solum habet unde respirare queat, in spe veniæ & misericordiæ, sed etiam unde audeat aspirare ad nuptias Verbi: & cum Deo inire fœdus societatis, atque cum rege Angelorum ducere suave jugum amoris.

2. Hæc omnia facit amor, si animo exhibeat se similem Deo per voluntatem; cui similis est per naturam, diligens sicut dilecta est. Solus enim est amor, ex omnibus animæ motibus, sensibus atque affectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere auctori, vel ipsi mutuam rependere vicem. Amor ubi venerit, ceteros in se omnes traducit, & captivat affectus. Amor per se sufficit, per se placet, & propter se. Ipse meritum, ipse præmium, ipse causa, ipse fructus, ipse usus. Per amorem enim jungimur Deo.

3. Amor facit unum spiritum de duobus. Amor facit idem velle, & idem nolle. Amor facit prius mores componere, postmodum omnia quæ adsunt, tanquam non adsint considerare: tertio vero loco, munda cordis acie, superna & interna conspiceret, per amorem primum in saculo bene geruntur honesta,  
post-

postmodum etiam honesta sæculi despiciuntur, ad extremum etiam Dei intima conspiciuntur.

## C A P V T X I X.

*Quod in nobis Deus requirat sibi simile.*

1. **D**eus Pater charitas est, Deus Filius dilectio est, Spiritus sanctus amor Patris & Filii est. Hæc charitas & hæc dilectio aliquid simile requirit in nobis; scilicet charitatem, qua velut quadam affinitate consanguinitatis, ei sociemur, & jungamur. Amor dignitatis nescius, reverentiam nescit. Qui amat, per seipsum fiducialiter accedit ad Deum, familiariterque loquitur ei, nihil timens, nihil hæsitans. Perdit quod vivit, qui non diligit. Qui autem diligit, oculos suos semper habet ad Deum, quem diligit, quem desiderat; in quo meditatur, in quo delectatur, in quo pascitur, in quo impinguatur.

2. Iste talis sic devotus, ita cantat, ita legit, & in omnibus operibus suis sic est providus & circumspectus, quasi Deus adsit præsens ante oculos ejus, sicut revera adsit. Ita orat, quasi sit assumptus & præsentatus ante faciem majestatis in excelso throno: ubi millia millium ministrant ei, & decies centena millia adsistunt ei. Animam, quam visitat amore, expergeficit dormientem. Monet & emollit eam, & vulnerat cor ejus. Tenebrosa illuminat, clausa referat, frigida inflamat: mentem asperam & irascibilem & impatientem mitigat: vitia fugat: carnales